REGNVM MAVROCANVM.

Situs.

MAurocanum regnum Feſſano proxime ad littus ſuccedit. Nomen habet à Mauroco urbe primaria, quæ vulgo *Maurocco.* Iacet inter Atlantem montem, Oceanum Atlanticum, Feſſæ regnum & Darenſe, forma pene triangulari. Ejus Provinciæ ſunt, *Hea, Suſa, Marocci* territorium, *Guzzula, Duccala, Haſcora. Tedles. Hea*, ab Oriente clauditur fluvio *Eſſivalo*, à Meridie Atlante, ad Occaſum & Septentrionem Oceano. Regio eſt aſpera, montoſa, nemoroſa, dives & incolis frequens. Parcius hic colligitur frumentum, ut hordeum, milium, & panicum. Fructuum etiam magna inopia, non tam cœli ſolive vitio, quam hominum ſocordia. Mellis abundantia hic maxima, quo plurimi veſcuntur, rejecta cera, cujus uſum ignorant. Civitates paucæ hic ſunt, ſed pagi, vici, & caſtra munitiſſima plurima. *Suſa* regio fertilis, amœna, dives, abundat frumento, hordeo, ac leguminibus. Ac quibuſdam in locis ſaccari eſt feraciſſima, licet indigenæ modum neſciant illud excoquendi & purgandi. Fructus etiam alicubi proveniunt, ficus, uvæ, mala perſica, & dactyli. Oleo caret, quod tamen aliunde huc adfertur. Metropolis hujus eſt *Tarodantum*, Mauris *Taurent*, amplum valde & ſpacioſum, ab antiquis Africanis conditum. Domos habet 3000. Incolæ moribus ſunt exculti ſatis. Hic Angli & Galli mercatores degunt, & ferrum, ſtannum, plumbum, ſaccharo commutant. Eſt & hic *Meſſa*, quondam *Temeſt*, ſub quo nomine tria minora oppida continentur, unius milliaris intervallo alia ab aliis diſſidentia, à veteribus Africanis ad littus condita. Etiam *Tejicit* civitas ab Africanis exſtructa in amœniſſima planitie, cujus unum latus lambit fluvius *Sus*. Diviſa eſt in tres partes ſpatio plus minus unius milliaris diſtantes, quæ conjunctæ figuram triangularem conſtituunt. Denique *Tedſi* Civitas magna ſatis, ſita in agro fertili, & *Tagavoſt*, omnium hujus regionis maxima.

Provinciæ. Hea.

Suſa.

Mauro-cum regio.

Mauroci territorium, quod toti regno nomen dedit, formam refert triangularem. Ejus fines ab Occaſu Mons *Netiſa*, ab Ortu Mons *Hadimeus*: qua Septentrio eſt, eo uſque pertingit, ubi notiſſimi fluvii *Tenſift*, & *Aſifinual* conjunguntur. Eſt autem regio cultiſſima, armentis, pecoribus, & feris abundans. Perpetua pene planities. Lombardiæ non admodum diſſimilis. Montes ſi quos habet, illi frigidiſſimi ſunt, & ſteriles, adeo ut præter hordeum nihil producant. In hac urbs eſt Maurocum, quæ maximis totius orbis terrarum civitatibus annumerari ſolet. Eſt quippe inauditæ magnitudinis. In ſpacioſiſſimo eſt exſtructa campo, ab Atlante milliaribus diſtans circiter quatuordecim. Conditorem ferunt Ioſephum quendam, Tesfini Lontunenſis populi regis filium. Miram hic reperias architecturam; tanta omnia arte ingeniique dexteritate ſunt exſtructa, ut non facile quis depingere poſſet. Murus maximæ craſſitudinis ex candido lapide exſtructus eſt. Sub principe ſuo *Hali*, Ioſephi filio domus numeravit plus quam 100000. Portas habuit in ambitu 24. Templa, collegia, hypocauſta, atque hoſpitia innumerabilia ſunt. Templorum magnificentius artificioſiuſque in medio urbis eſt, à conditore vulgo *templum Hali ben Ioſephi* dictum. Eſt & aliud magnificum templum non procul à rupe, cujus turris è lapide duriſſimo atque elaborato, ulnas plus centum in ambitu continet, altitudine quaſvis ſuperat: in cujus ſummitate lunam, & ſub hac tres inæqualis magnitudinis ſphæras aureas, quæ omnes 130 mille aureos pendent, videre eſt: quas quidam tali planetarum influentia ibi poſitas affirmant, ut nullo artificio inde diſtrahi queant; alii dæmonem quendam arte magica ad id coactum aſſerunt, ut contra omnes omnium impetus eas ſervet. Regibus enim qui ſphæras haſce, auri pretio allecti, amovere voluerunt, mirum ſemper obtigit infortunium, quod conatum impedivit; adeo ut omen maxime ſiniſtrum vulgò opinentur, ſi quis eas manu contrectare ſtuduerit. Interior hujus templi pars non uſque adeo ornata eſt. Tectum autem ſumma habet elegantia laqueatum. Situm eſt in arce quadam munitiſſima, quam, ſi amplitudinem, ſi muros, ſi turres, ſi denique portas ex Tyburtino exſtructas marmore videris, oppidum jure cenſeas. Eſt in eadem collegium quoddam, cui triginta inſunt aulæ, in quarum media, magnitudinis ſtupendæ, publice, dum litteræ apud illos florerent, prælegere ſolebant. Parietes habet opere vermiculato elegantiſſimos. Porticus & convexitates omnes ex lapide depicto vitreoque compoſiti ſunt. In medio limpidiſſimus ſcaturit fons, muro è marmore candido cinctus. Habet præterea eadem arx atria duodecim, Cancellarii, & totius Senatus ædes, equilia, horrea, armamentaria armis auro micantibus inſtructa, hortum in quo vix ullum arboris genus olim deſiderabatur, & alia, quæ quia brevitati

f3